



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

143. An Religiosus plura simul obtinere possit beneficia regularia intra, vel extra Claustra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Quaestio 141. Quenam sit ratio, cur potius procedat consuetudo habendi duo difformia in Ecclesia eadem, quam habendi duo similia; & cur facilius concedantur duo difformia quam similia?*

**R**espondeo: quia per hoc, quod habeantur duo similia in eadem Ecclesia, magis diminuitur cultus divinus, & magis Ecclesia necessariis sibi destituitur ministris; dum enim beneficiorum similium certus est numerus, si uni conferantur duo Canonici, Ecclesia duorum Canonico- rum consilio, operâ, ministerio privatur; dum autem idem obtinet dignitatem & canonicatum, utroque hoc officio fungi potest. Azor. p. 2. l. 6. c. 12. q. 6. citans pro hoc Jo. And. Imol. & alios in c. literas, de concess. preb.

*Quaestio 142. Quando nam proprie beneficia dicantur esse sub eodem tecto, seu in eadem Ecclesia in ordine ad effectum incompatibilitatis?*

**R**espondeo: beneficia sita in capella, claustris, camiterio, seu ambitu contiguo Ecclesiae, censentur esse in eadem Ecclesia; quia ista sunt pars Ecclesiae illius; unde & polluta & interdicta Ecclesia, etiam Capella, claustrum, camiterium, ambitus sunt polluta & interdicta. c. unicum de consecratione Ecclesiae, in 8. & c. civitas. de sentent. excomm. in 6. Si verò Capella, camiterium &c. non essent contigua Ecclesiae, sed extra septa illius, beneficium in illis situm non censetur esse in Ecclesia majori, seu principali, licet habens tale beneficium haberet facere aliquod ministerium in Ecclesia illa majore, v. g. ibi interesse divinis, celebrare ibi in festivitatis: attendendus enim est locus, ubi beneficium situm, erectum & fundatum; quamvis secus sit quoad effectum decreti Trid. sess. 25. c. 15. quo filius Clericorum prohibetur quoquo modo ministrare in Ecclesia Patrum seu paternâ. Ita ferè Garc. n. 159. citans Rotam decis. 6. de concess. preb. Pacian. de probatione l. 1. c. 62. n. 31. Gonz. gl. 10. n. 24. & n. 27. citans pro hoc, vel potius remittens ad Covar. in c. Alma mater. de sentent. excomm. in 6. p. 2. §. 1. n. 8. qui etiam ibi n. 16. ait, decisum à Rota decis. 8. n. 2. de preb. in antiq. quod si aliqui Canonici Ecclesiae Collegiatae veniant quotidie ad Ecclesiam Cathedrali, & in illa serviant, recipiant distributiones, & in ejus choro stantur, non propterea eorum beneficia consistant partim in Cathedrali, sed solum in Collegiata; cum principaliter attendi debeat locus, in quo originaliter sunt Canonici, serviunt, & habent habitationem, & in, seu ex qua Ecclesia nomen recipiunt. Neque his obstat, quod dicitur in alia Rotæ decisione, nempe 9. de preb. in antiq. apud Gonz. n. 20. ubi distinguitur & dicitur, si beneficium situm in claustris vel coenaculis adificiis alienis Ecclesiae, extra corpus ipsius Ecclesiae debet exercere actus, ad quos deputatus est in ipsa Ecclesia, v. g. quia ibi debet celebrare, interesse horis &c. c. noster beneficium consistere in Ecclesia, quia non consideratur locus, in quo res est sita, sed ubi destinatur executio rei. c. delecti. de foro comp. si verò habet officium deputatum, ut serviat in loco beneficii, beneficium non censetur esse in Ecclesia, quia differunt beneficia corporis Ecclesiae ab illis, argumento c. 1. de consecr. Ecclesiae. Si habet officium mixtum, quia partim habet exercere in Ec-

clesia, partim in camiterio seu Capella claustris, ibi dicitur consistere beneficium, ubi recipit proventus ratione officii & exercitii: & si in utroque servit & recipit proventus, dicitur ibi consistere beneficium, ubi dignius & frequentius officium exercet: Argumento cap. ad apostolica, de decimis. & juxta Mand. in reg. de annal. q. 32. n. 22. Gomez. de expectat. n. 140. hæc inquam non obstant, sive hæc decisio Rotæ non est contraria illi decis. 6. de concess. preb. suprâ cit. quia hæc intelligenda de Capella contigua: decisio verò illa 9. de capella non contigua, Gonz. loc. cit. n. 27. vel dicendum utramque hanc decisionem intelligendam in suo casu, quoad diversos respectus & effectus, ut Gonz. ibid.

### PARAGRAPHVS III.

De incompatibilitate beneficiorum regularium, & de decreto dimittendi præhabentium undecunque incompatible.

*Quaestio 143. An religiosus plura simul obtinere possit beneficia regularia intra vel extra claustra; supponitur enim hic, de quo alibi, non minus in domibus & Ecclesiis Religiosis seu regularibus dari dignitates, prælaturas, personatus, & beneficia regularia religiosorum, v. g. Abbatiam, Præposituram, Prioratum, Canonicatus regulares, quin & Monachatum (qui & ipse beneficium regulare simplex est juxta Nav. in commentar. 4. de regular. n. 25. ex Host. & Abb. apud Pirh. tit. de preb. n. 177.) quam in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis secularibus dentur istiusmodi beneficia secularia clericorum secularium: supponitur item posse regulares etiam extra claustra habere beneficia regularia etiam curata.*

**R**espondeo negative: prohibetur siquidem e. cum singula. de preb. ne Monachi vel alii Religiosi pluribus Prioratibus, ut gl. in cit. c. v. Prioratibus vel Ecclesiis curam animarum habentibus, etiam si cura illa non per ipsos, sed per presbyteros seculares Vicarios ad illorum præsentationem ab Episcopo institutos exerceri solet, absque sedis apostolicæ auctoritate seu dispensatione præesse præsumant; nisi fortè unus Prioratus vel beneficium regulare ab altero dependeret, vel ei annexum esset. Assertur quoque ibidem in principio hujus cap. ratio hujus, dum dicitur, quia singula officia singulis conferenda (non autem uni plura, cum ut dicitur c. 3. de Cleric. non resid. vix unum officium rectè quis implere sufficiat) Et quia dissolutionis & evagationis materia seu occasio præ ceteris auferenda est religiosis. Ita ferè Pirh. loc. cit. n. 178. qui etiam inde infert, non posse Prælatum suum subditum regularem habilem reddere ad duo beneficia, etiam ejusdem ordinis vel monasterii simul acquirenda; etiam si ea tantum sint simplicia, sine Papæ dispensatione; cum quodlibet sit incompatible cum primò, si conferatur in titulum religioso, &

citat pro hoc Sanch. l. 7. mor. c. 29. n. 8. Nav. ubi ante n. 23. q. 7. vers. 5. nisi unum beneficium esset annexum alteri, seu dependeret ab eo; tunc enim necessaria non esset dispensatio ad illa duo simul obtinenda; cum hujusmodi duo Prioratus vel beneficia curata aut simplicia reputentur pro uno. Pih. *ibid.*

*Quaestio 144. Num specialiter prohibitum, ne monachus, aliisve religiosus obtinere possit duo vel plura beneficia regularia in diversis monasteriis vel Ecclesiis?*

**R**espondeo affirmative: nam, ut *cit. c. cum singula*, insuper prohibetur, ne Prioratus vel Ecclesiae, vel administrationes seu officia unius monasterii, quae per eisdem monachos gubernari consueverunt, deinceps sine Sedis Apostolicae auctoritate alterius monasterii monachis committantur gubernanda; & quae hactenus eisdem commissa, dimittantur; ut per eos, ad quos pertinet, liberè conferri & ordinari queant. Quippe, cum monachis non liceat habere locum in diversis monasteriis, quorum unum ab altero non dependet, sive si ad invicem non sunt connexa; neque Prioratus, Ecclesias, administrationes, vel officia aliorum monasteriorum (nisi ad ea canonicè transferantur) liceat eis gubernare. Ita ferè textus *cit. c. cum singula*.

2. Unde jam inferitur, aliquem non posse esse monachum, seu professum in duobus monasteriis, etiam ejusdem ordinis ac regula. Pih. *loc. cit.* citans Anchar. & Franc. in *cit. c. cum singula*. Rebuff. in *pr. tit. de dispensat. cum regular. n. 9. & 10.* Navar. ubi supra. Si enim religiosus hac ratione haberet duo beneficia sui ordinis in titulum in diversis monasteriis, esset sub diversa obedientia, & diversis Praelatis subiceretur, contra *c. ultim. de regular. domib.* Et cum monachus emittendo professionem contrahat quasi spirituale matrimonium erga hoc monasterium, eique totaliter se tradat, juxta Abb. in *c. non potest. de regular. non potest jus & titulum habere in duobus sui diversis monasteriis*. Pih. *ibid.* nisi duorum illorum monasteriorum unum ab altero dependeret, seu alteri subiectum esset; tunc enim posset quis in utroque simul sine dispensatione jus collegii & beneficii habere, v. g. ut in inferiore esset Prior subiectus alterius monasterii majoris Abbati, in quo est professus; in hoc enim casu non subest diversitas, sed uni. Pih. *loc. cit.* citans Rebuff. Nav. ubi ante. Laym. in *qq. de Elect. q. 202.* argumento *cap. cum singula*. juxta Gl. v. *annexi*.

3. Porro hac ipsa dispositio de Monachis extenditur quoque ad Canonicos & Clericos Regulares, quod neque ipsi possint esse professi, & habere beneficia vel officia regularia in diversis Ecclesiis, etiam ejusdem ordinis: Videntur enim omnia beneficia regularia, quoad hoc in *c. cum singula*, adaequari, cum loquatur universaliter de duobus officiis vel beneficiis in diversis locis vel monasteriis. Pih. *loc. cit.* n. 181. ex Nav. *Comment. 3. de regul. n. 43.* ubi etiam is generalem tradit regulam, quod ea, quae jure communi statuuntur de Monachis, quamvis alioqui odiosa sint, etiam de aliis Regularibus, Canonicis & Clericis statuta censeantur; si in iis eadem ratio locum habeat: uti coarctat in praesenti; dum Regulares Canonici non minus, quam Monachi professio-

nem edant ad stabilem locum, & in monasteriis suis jus collegii, atque cujusdam beneficii habeant.

4. Inferit quoque ex his Pih. *loc. cit.* n. 181. quod Praelatus spectato jure communi non potest cogere monachum vel religiosum, ut ad aliud monasterium, etiam ejusdem ordinis transeat; tum quia sicut monasterium solum, in quo est professus, tenetur illum alere, ita ipse illi soli servitute tenetur; tum quia sicut beneficiarii saeculares non possunt cogi ad relinquenda sua beneficia sine sua culpa, ita nec regulares possunt cogi ad relinquenda sua jura monasteriorum, in quibus professi, & alimenta sibi inde debita: citat pro hoc Laym. ubi ante. & Nav. *Comment. 4. de regular. n. 22.*

*Quaestio 145. Qualiter vacent illa beneficia regularia, & quae statuta praeterea penam, dum dictis dispositionibus contraveniunt?*

**R**espondeo primò: Statuitur in *c. cum singula. §. statuentes*. ut si religiosus Prioratum vel curatam Ecclesiam obtinens aliud simile beneficium recipiat, sit ipso jure privatus primo. Et si illud statim non dimittat, uti *ibidem* praecipitur, ab eo tempore sit ineligibleis, & tanquam ambitiosus ab utroque demoveatur, Eadem poena statuitur illis, qui tempore dictae constitutionis plures Prioratus vel Ecclesias curatas obtinebant, si intra mensem à die, quo noticia hujus constitutionis ad eos pervenerit numerandum, unum ex iis, quod maluerint, non dimiserint.

2. Secundo statuitur *ibidem §. prohibentes*, quod ij, qui imposterum Prioratum, administrationem, vel aliud ex praedictis beneficiis alienis monachis commiserint, vel commissa reliquerint, in penam eà vice ordinandi seu committendi potestate sint privati, eaque ad Dioecesanum (si autem monasteria sint exempta, ad Sedem Apostolicam, vel Legatum de latere, si sit in provincia) devolvantur. Ij vero, qui praedicta beneficia vel officia alieni monasterii suscipere, vel jam suscepta detinere praesumpserint, ipso jure ineligiblees reddantur. Ita ferè textus *cit. c. cum singula*. quod posterior, nempe inhabilitatem ad hoc, ut eligatur deinceps, extendit Pih. *loc. cit.* n. 180. ut quoque reddatur inhabilis, ut ei beneficium conferatur. Citat pro hoc Rebuff. ubi supra n. 3. & Gl. in *cit. c. cum singula. v. ipso jure*. Eò quod, licet aliàs ordinariè nomine Electionis non ventat collatio, id tamen fallat, nisi sit eadem ratio in utroque, uti est in praesenti. Et quia frequentius solent fieri Electiones, & Prioratus, & officia in Monasteriis, quam eorum collationes, Papa in *cit. c. cum singula*. utitur verbo *ineligibilis*. ut Rebuff. *loc. cit.*

*Quaestio 146. Quid circa illud decretum Papa de dimittendo beneficium prius habitum incompatible cum eo, de quo providetur, apponi solitum in imperatione, & gratia de hoc secundo, quo (dum Papa dispensare non vult quoad retentionem praehabiti) jubetur eius dimissio; quid inquam implicet, imponet & operetur?*

**R**espondeo; decretum hoc, quo quasi in executionem illius, quod jura hac in parte statuunt, urgetur dimissio praehabiti ad provisionem secundi (cum etiam ejus forma ferè desumpta sit

EX EXTRAVAG. EXECRABILIS, Lott. l. 3. q. 23. n. 22. vulgò